



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 114. Origo confessionis fidei, ac Calvinistarum disciplinæ in Gallis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

\Sæcul. XVI.
A C. 1559.

Minister Cadomi in Normania inter Calvinistas introducere satagebat: postmodum plurima circa disciplinam constituta sunt de Synodis, ac colloquiis, necnon de eorum Præsidibus: quædam etiam statuta condebant de Ministrorum electione, eorumque munere, de Diaconis, censuris, sicuti etiam de contrahendis, aut dissolvendis matrimoniis, tollebant quoque Principatum ex Ecclesia, ita, ut deinceps omnia collegia essent æqualia, nec minus differabant de excommunicatione, ac unitate doctrinæ, statuentes, quod rejectis omnibus exteris opinionibus sola Calvinista secta propugnaretur, quæ tamen non unius, aut alterius arbitrio, sed ex consensu, & consilio universæ synodi duntaxat mutari valeret: cum autem hæc proponeretur quæstio, an ad Episcopos, eorumque Officiales appellare liceat, petulanter respondebant, quod id duntaxat in causis civilibus permisum sit, eo modo, sicut pro obtinenda crudelitatis remissione Latroni supplicare licet.

§. CXIV.

Origo confessionis fidei, ac Calvinistarum discipline in Gallis.

*Beza hist.
 Eccl. l. 2.
 versus finem.*

Communior quidem tenet opinio, quod Reformati, ut se vocant, suam fidei

Sæcul. XVI.
A. C. 1559.

dei confessionem, ac disciplinæ Ecclesiasticæ normam, quarum utraque quadraginta articulos complectitur, in hac Synodo confarcinarint: attamen longe vero similis est, quod utraque in Genevensi Urbe ex damnata Calvinii officina procusa prodierit; quippe hi articuli jamjam die vigesima octava Maji erant subscripti, atque ab hac Synodo postea acceptati, cum tamen hæc non nisi die vigesima sexta fuerit inchoata, unde sequitur, quod tam hæc, quam illa jam antea fuissent fabricatæ; nullatenus enim credere fas est, quod hi Deputati, utpote Viri potissimam partem prorsus stupidi intra bidui angustias unanimi consensu octoginta omnino articulos consuere potuerint: quinimo inter eos mota erat altercatio, an non ex Senioribus, qui non nisi urgente necessitatis casu fuerant selecti, ac prorsus omnis scientiæ expertes erant, suo munere exauctorandi forent: porro id omnino fieri oportere, affirmabant ceteri, præcipue, si illorum nonnulli crassa nimis laborarent ignorantia, prout etiam comprobatum exstabat, quod plurimi ex illis inscitia sua facile cunctos superarent. Ceterum hæc fidei confessio, ac disciplinæ norma non nisi posterioribus Regum Franciæ temporibus divulgabatur.